MONSIEU

conférence

la premièr

pu être di

qu'il a plu

S. Pierre c

jusqu'à no

aux malad

l'exercer.

Archevêché de Québec,
15 Octobre 1855.

Monsieur,

Vous recevrez avec la présente les questions qui devront être discutées dans les conférences ecclésiastiques, pendant l'année mil huit cent cinquante-six.

La seconde série renferme les questions que l'on devra traiter, lorsque celles de la première n'occuperont pas tout le tems de la conférence.

Il est à désirer aussi que l'on reprenne et que l'on décide les questions qui n'ont pu être discutées dans les conférences de l'année précédente.

Je vous transmets en même tems une feuille imprimée renfermant une addition qu'il a plu au St. Siége de faire aux leçons de l'office de la Dédicace des Basiliques de S. Pierre et de S. Paul.

Je profite de l'occasion pour déclarer que c'est mon intention que, désormais jusqu'à nouvel ordre, MM. les vicaires exercent la juridiction ordinaire, pour les cas d'appel aux malades, dans les paroisses du voisinage où MM. leurs curés peuvent eux-mêmes l'exercer.


Recevez, Monsieur, l'assurance de mon bien sincère attachement.

† C. F., Eveque de Tloa.

QUÆSTIONES DISCUTIENDÆ

in Collationibus Ecclesiasticis Archidiocesis Quebecensis anno **1856.**

DE RESTITUTIONE.



I.

Post repressionem rebellionis quæ octodecim circiter abhinc annis in quâdam hujus regionis parte accidit, missi sunt officiarii regii in diversas paræcias ad perquirendos ac puniendos rebelles. Quos ut facilius detegerent, summam pecuniæ promiserunt iis qui illos sibi denunciarent.

Tripho, è paræciâ N. pecuniâ inhians, hâc promissione allectus, plures denunciavit secreto ; qui omnes gravibus mulctis, aut aliis majoribus pœnis, ut carcere, exilio, &c., plexi sunt. Hoc modo pecuniam satis magnam comparavit accusator ille, non sine aliquo conscientiæ scrupulo.

Nuper autem, post exercitia spiritualia quæ fidelibus in dictâ paræciâ N. data sunt, adiit parochum suum, eique rem omnem aperuit, et quid sibi agendum esset quæsivit.

Hanc quæstionem gravem difficilemque reputans parochus hæret, et antequam respondeat quærit ipse à quodam doctore :

1o. *Ex quâ culpâ inducatur obligatio restituendi vel damnum reparandi ?*

2o. *An Tripho peccaverit, et quidem graviter ?*

3o. *An ad restitutionem, damnumve reparandum teneatur ?*

II.

Petrus sacerdos vix necessariâ scientiâ instructus cum ad sacrum presbyteratus ordinem promotus fuit, Theologiam moralem per aliquot annos prorsus neglexit. Unde brevi etiam pauca quæ didicerat in seminario à mente ejus elapsa sunt. Interea tamen sacrum regimen animarum exercuit confidenter. At vero audito gravi sermone de necessitate scientiæ in confessario, theologos pervolvere cæpit, et stupens comperit, ob scientiæ moralis defectum,

1o. se pœnitentem quemdam à lucroso et licito contractu ineundo, ut pote qui [illegible]citus sibi videbatur, avertisse :

2o. quosdam à restitutione, ad quam tenebantur, exemisse ;

3o. alios autem ad restitutionem addixisse, sine causâ.

Nunc anxius quærit :

1o. *Quæ requirantur ut ignorantia invincibilis vel vincibilis existimetur ?*

2o. *An quoties ad excipiendas confessiones accesserit toties peccaverit, graviterque ?*

3o. *An ad aliquid teneatur ?*

III.

Paulus faber ferrarius ad cœnam à duobus amicis comiter invitatus libentissime iisdem obsequutus est. Cum se cibo potuque recreassent, pravum ei consilium manifestant ingentem pecuniæ vim à divite mercatore furandi, ac furti partem ei pollicitantes, ipsum persuadere conantur ut opera sibi commodat ad claustra apothecæ noctu perfringenda. Paulus iniqua consilia aversatus, nunquam se in sceleris societatem venturum affirmat; quibus auditis, nefarii homines ferro districto mortem ei minitantur, nisi ad furtum admittendum operam præstet, ac factum alto silentio premat. Paulus cum probe noscat, eos tali esse animo, ut mortem sibi intentatam sibi inferant, vitæ suæ discrimen vitare cupiens ad mercatoris ædes cum iis accedit; claustra januamque perfringit, et ablatam furti partem recipit. Non ita multo post, ex furto mercatorem illum in gravem ègestatem incidisse cognoscit, atque ad confessarium accedit, quem percontatur;

1o. *Quandonam metus ob omni peccato excuset?*
2o. *An peccaverit operam suam illi furto navans?*
3o. *Ad quid teneatur?*

IV.

DE CHOREIS.

Jacobus parochus videns choreas valde frequentes ese in suâ parochiâ, parœcianosque suos parum attendere gravibus suis eâ de re monitis, eas tandem interdixit omnibus sub pœnâ privationis absolutionis, et communionis paschalis. Inde cum dolore coactus est arcere à sacrâ communione, tempore paschali, majòrem partem populi sui, maxime juvenum qui prohibitionem suam non servaverant.

Hâc infelici experientiâ edoctus, ac de opportunitate hujus medii dubitans, nunc tandem quærit ab amico sacerdote :

1o. *An choreæ tanquam malæ habendæ sint?*
2o. *An sub tantâ pœnâ prohiberi possint?*
3o. *An prudenter se gesserit in casu, tum prohibendo eas sub pœnâ privationis communionis paschalis, tum ab eâdem sacrâ communione arcendo omnes qui prohibitioni suæ non paruerant?*

DE SACRAMENTIS.

I.

Quotidie protestantes, ejuratis erroribus suis, ad catholicam ecclesiam redeunt. Propter dubium validitatis baptismi ab hæreticis accepti, sub conditione baptizandi sunt. Queritur autem :

1o. *An teneantur peccata sua confiteri ?*

2o. *Quatenus affirmativè, quo ordine, an ante, vel post baptismum id præstare debeant ?*

II.

Dum Episcopus ministraret sacramentum in quadam parochiâ accidit ut quidam confirmandus non accesserit, nisi post orationem *Omnipotens sempiterne Deus*, quæ ab Episcopo manibus extentis super confirmandos recitatur. Quo cognito, parochus ejus quærit :

1o. *An prædicta oratio pertineat ad essentiam sacramenti ?*

2o. *Quid præstandum sit in casu ?*

III.

Damasus parochus obtinuit indulgentias plenarias lucrandas die festo Titularis ecclesiæ suæ. Quo autem plures eas lucrari possint, longe ante festum audit confessiones pœnitentium, quos remittit omnes absolvendos ad vigiliam prædicti festi. Eo die ipsos absolvit, licet memoriam non retineat peccatorum quæ sibi confessi sunt, nec ipsi declarent alia quæ sint materia absolutionis. Eo modo multi absolvuntur. At quæritur :

1o. *An confessarius debeat habere memoriam peccatorum quæ audivit in confessione ut valide ab ipsis absolvere possit ?*

2o. *An Damasus talem praxim tutâ conscientiâ sequi possit ?*

IV.

Fredericus, in Anglia natus, vir è protestantium sectâ, matrimonium cum Annâ tertio consanguinitatis gradu sibi conjunctâ inivit coram a catholico ministro. Post annos plures, ob violatam ab uxore fidem, sententiam divortii quoad vinculum obtinuit. Porro Anna ita divortiata novum contraxit cum altero connubium. Fredericus vero in hanc provinciam veniens, Catholicam amplexus est fidem, et nunc matrimonium cum Catharinâ inire cupit. At parochus ejus hæret et quærit :

1o. *An cum opinione probabili de non existentiâ impedimenti licite et valide iniri possit matrimonium ?*

2o. *An probabile sit hæreticos non ligari de facto impedimentis a jure tantum ecclesiastico statutis ?*

3o. *Quid de Frederici matrimonio cum Annâ inito sentiendum : quid ei consulendum ?*

nt. Propter
nt. Queritur

id præstare

uidam confir-
e ab Episcopo
ærit :

laris ecclesiæ
ones pœniten-
psos absolvit,
rent alia quæ

in confessione

Annâ tertio
annos plures,
orro Anna ita
ac provinciam
â inire cupit.

valide iniri

jure tantum

id ei consulen-